



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

Luxemburgi, 1740

IV. Confirmatio Decreti Congregationis Rituum pro Ordine Fratrum B.
Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum circa recitationem Officii
Beatæ Mariæ Virginis sub titulo de Remedio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74733)

Philippus Marchio Vecchiarelli Nobilis Romanus.
Franciscus Tituli Sancti Petri in Monte Aureo S. R. E. Cardinalis Burgbesius, Romanus.
Aeneas Silvius Piccolomineus & Dominus Pannonae Patritius Senensis.
Frater Vincentius Tituli Sanctae Mariae in Via S. R. E. Card. Ferrerius Episcopus Vercellensis, Niciensis.
Carolus Franciscus Comes de Villanova Taurinensis.
Alamanus Tituli . . . S. R. E. Cardinalis Salviatus, Florentinus.
Chiappinus Vitelli Florentinus.

DIACONI IX.

Laurentius Tituli Sanctae Agathae in Subura S. R. E. Cardinalis de Alteriis, Romanus.
Hieronymus Asdrubal Fagnani.
Carolus Tituli S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. Card. Columna, Romanus.
Comes Brutus Marcellus Porta Comensis.
Fabius Tit. SS. Viti & Modesti S. R. E. Cardinalis de Abbatibus Oliverius, Pisaurensis.
Abbas Alexander Baviera Senogalliensis.
Carolus Tituli Sanctae Mariae in Aquiro S. R. E. Card. de Marinis, Januensis.
Guidobaldus Comes Juliani Bononiensis, Abbas S. Nicolai de Mantua.
Alexander Tituli Sanctae Mariae in Cosmedin S. R. E. Cardinalis Albanus, Urbinas.
Abbas Franciscus Dominicus Clementi Romanus.
Alexander Tituli S. Mariae in Scala S. R. E. Card. Falconerius, Romanus.
Oratius Falconerius Nobilis Romanus.
Nicolaus Tituli Sanctae Mariae ad Martyres S. R. E. Cardinalis de Judio, Neapolitanus.
Antonius David Abbas Porro Nobilis Mediolanensis.
Antonius Tituli Sancti Nicolai in Carcere S. R. E. Cardinalis Bancherius, Pistoriensis.
D. Michael Benedet & Luessia Nobilis Offic. J. U. D.
Carolus Tituli S. Mariae in Portico S. R. E. Card. Collicola, Spoletanus.
Marchio Gaspar Orsinus de Cavalieriis Patrius Romanus.

IV. Confirmatio Decreti Congregationis Rituum pro Ordine Fratrum B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum circa recitationem Officii B. M. V. sub titulo de Remedio.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 29. Julii
1730. P. An. 1.

Tenor Decreti S. Congreg. Rituum.

S. 1. **E** Manavit nuper a Congregatione Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, Cum sub die 12. Julii 1727. Sacra Rituum Congregatio ad instantiam Patrum Calceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum indulerit, ut ab ipsis quotannis Dominica secunda Octobris recitari possit Officium Beatae Mariae Virginis sub titulo de Remedio cum antiphonis & lectionibus, ut in Fests S. Mariae ad Nives, sumptis ex Breviario Romano lectionibus secundi Nocturni, cumque ratione concessionis praedicti Officii, tum approbationis Lectionum propriarum secundi Nocturni, quae a Patribus

Trinitariis praevidebatur, variae contentiones & lites exortae fuerint inter ipsos Trinitarios & Patres Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, habitoque per Patrem Magistrum Fratrem Alexandrum Illomei praedicti Ordinis de Mercede Procuratorem Generalem ad eandem Sac. Rituum Congregationem recursum, accedentibus etiam particularibus instantiis Patris Procuratoris Generalis Ordinis Praedicatorum, necnon Patris Procuratoris Generalis Ordinis Carmelitarum, Emus & Rmus Dominus Card. Belluga in Pontem, seu Relatorem deputatus infra scriptum Dubium inter Partes concordatum examinandum proposuit, videlicet -- An sit revocandum Decretum diei 12. Julii 1727. concedens Patribus Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Officium Beatae Mariae Virginis sub titulo de Remedio, uti Patronae minus principalis in casu &c. Et Sacra eadem Congregatio, utraque parte tam in scriptis quam in voce informante audita, discussisque juribus hinc inde deductis, variisque circumstantiis consideratis, rescribendum censuit -- Affirmative die 21. Januarii 1730. factaque de his per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIII. relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis approbavit; necnon PP. Trinitariis quoad praedictum Officium Beatae Mariae Virginis de Remedio perpetuum silentium imposuit die 23. ejusdem mensis, & anni 1730. N. M. Tedeschi Archiepiscopus Apamensis Secretarius. Loco 4 sigilli.

S. 2. Cum autem, sicut pro parte dilecti filii Josephi Mezquia Procuratoris Generalis praedicti Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum nobis subinde expositum fuit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmiter subsistat, Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret.

S. 3. Nos specialem ipsi Josepho gratiam facere volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praefertum auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

S. 4. Decernentes eandem praesentes literas firmas, validas & efficaces existere & fore, suoque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 29. Julii 1730. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Cardinalis Oliverius,

Procuratoris Ord. B. Mariae Redempt. Capt. postulatio pro confirmatione hujusmodi Decreti.

Quae praemissis solitis abolutionibus &c. ei conceditur.

Validatio praesentium Literarum.